

ordines fuerint promovendi, à Dioecesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, et communionem sacro sanctæ Romanæ Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi quâlibet surreptionis astutia seu violentiâ præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars Majoris et sanioris consilii secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas, ratas habemus, et perpetuis temporibus eas illibatas permanere sancimus. Paci quoque et tranquillitati vestræ paternâ imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica inhibemus, ut intra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones